

L. 1774.



L. IV. 114.

Apr 1948 J N 552



SLUB

Wir führen Wissen.



GÖRLITZER SAMMLUNGEN  
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK



Uniwersytet  
Wrocławski





QUASI-PROCANCELLARIUS  
SOCIETATIS LUSATICAE  
AD RECOLENDAM MEMORIAM ACADEMICAE VITAE  
SOLENNIA  
A. D. XXI. AUGUSTI MDCCCXXI

ET  
EXTRA ORDINEM  
NOVOS SOCIOS  
LUBBENAE IN LESKYANIS HORTIS

HORA PRAEFIXA  
RITU SOLENNI ASSUMENDOS

INDICIT

---

PRAEMISSA  
RHAPSODIAE CONTINUATIO  
OBS. CI. — CVIII.

---

LUBBENAE  
IMPRESSIT FRIDERICUS DRIEMEL



QUASI-PROGANELLARIUS  
SOCIETATE LERATICA  
AB HECORRAN METORIAN ACADEMICE VITE  
SOLFENIA  
L. D. YXE AUGUSTI MDCCLXX  
EXTRA ORDINEM  
NOVOS SOCIOS  
RUBENAS IN LERATIS HORTIS  
SOCIETATE LERATICA  
RHYSSODIAE CONFIRMATIO  
O. S. C. - C. P.  
SOCIETATE LERATICA



---

R H A P S O D I A E.

---

OBSERVATIO CI.

Dictum Plinii \*) „*alia majora alia clariora*“ applicatum ad Lusatiam nostram.

CII.

Corollaria ad disputationem M. Friderici Mathae „*de Lubbena olim magna.*“ Lubbenae et Lips. 1727.

CIII.

De Lubbena nunc parva, sed justitiae Regis in compensanda justitia amissa, confidente.

CIV.

Bos rubeus ventre albicante, insigne Lusatiae nostrae.

Fuerunt \*\*), qui istud ex ingeniis obtusis Venedorum derivare vellent.

Explosa tamen illorum opinio, potius sensus symboli, vere mystici, interpretandus ex agricultura et pecuaria regionis fecunditate.

---

\*) in epist. Lib. III. XVI. praemissa historia de Arria et Poeto.

\*\*\*) vid. Giovanni Germania Princeps ad Cap. Austria Lib. I. Cap. VII. pag. 227. Edit. Ulm. 1752. confer. Miri de rebus Lusatorum. Budissae 1695. Peuceri Idyllim de Lusatia. Bud. 1594.



CV.

De litera L. Lusatis \*) et Saxonibus \*\*) grata et commemo-  
rabili.

CVI.

Academia neglecta vindicat suum contemptum per totam vitam.

CVII.

Conjectura: *Trebatium*, confamiliarem *Ciceronis*, in exilio vi-  
ventem, pagum quem nunc dicimus *Trebatsch*, sub hasta emisse,  
restaurasse et arci et pago suum nomen dedisse.

CVIII.

De fictionibus quaedam in genere.

Praetor romanus fictionibus defectum et duritiem legis sup-  
plere et mitigare solebat.

Et fictiones in vita communi frequentes.

Sic non solum in militia sagata, Codri non timidi pro pa-  
tria mori \*\*\*) , sed et egregie cordati in militia togata meriti

---

\*) ob cumulationem in initiali L. in urbibus Luckau, Lübben, Lübbenau, Lieberose vicinis.

\*\*) ob triologiam LUTHER, LEIBNITZ, LESSING, quos Saxones suos ostendunt et jure ostentant.

\*\*\*) Sufficiat unum exemplum ex recentissima historia in mentem revocare. Miles Fran-  
cogallus, *de la Tour d'Auvergne*, longam vitam in armis, pedestris in ordine, quem  
Romani hastatorum et principum nostrates nomine pyrobolariorum (*Grenadier*) si-  
gnant, et quidem tanta laude semper victor sine vulnere ex proeliis redux, vixit,  
ut Napoleon Imper. illum, dum erat in vivis, primum (*den ersten Grenadier*) cogno-  
minare, mortuum tanquam viventem et praesentem in legione appellare et tractare  
jusserit. Hinc in tabulis cohortis (*auf dem Etat*) nomen inscriptum, et in convo-  
catione militum, nomen tanquam praesentis semper recitabatur.



viri, licet mortui, praesumuntur vivere in grata memoria posteritatis \*).

Et in Academiis fictiones non exules.

Exempla dantur.

Gradum quod vocamus ambientes, Doctorandi, Licentiati, Magistri interdum finguntur disputationes scripsisse.

Profitentur se autores in titulo, et non temere, sunt enim omnino autores ex contractu „*do ut facias.*“

Et in promotionibus per gratiam dictis multa finguntur.

De his et disputationibus quoad titulum et materiem fictis, mox uberius dicendi locus erit.



Sed manum de tabula! Genius diei instat, ut missa facta sapientia de fictionibus in rem praesentem veniamus. Placuit quibusdam ingenuis viris nostratibus, ad exempla recens data, memoriam Academici stadii recolere, et istud votum, uti inter bonos bene agier oportet, cum amicis in patria communicare. Apparet undique mirus concentus in collaudando consilio, mira concordia et conspiratio ad studium inserviendi, mirum certamen in loco et die ornando. Ex urbibus, pagis, repullulant sodales olim in Academia, nunc congregati itineris socii. Musae, Charites,

\*) Heu quot et quanta nomina virorum large de patria meritorum revocare possem! Mentem suspensam copia larga facit. Videsis M. Schulzii, Rect. Gymn. Luccav., applaudentibus omnibus, qui bene de litteris et patria sentiunt, incoeptam collectionem autorum Lusat.



Jocus comitantur euntes. Non desunt, qui sarcina vitae collecta, omnis migrationis pertaesi, unicam viam e vita in coelum meditantés, ad nomen Academiae, uti quondem Pyramus ad nomen Thisbes, oculos jam morte gravatos erigant, pera et baculo se accingant et Lubbenam properent, ut fatís properantibus cum amicis repetant fata et gaudia juventutis bene collocatae. Hinc quorsum oculus vertis, novum spectaculum. Cessare sentis tandem altum silentium et diu ploratam paucitatem viatorum et veredariorum in viis publicis. Hospites in diversoriis et caupones in tabernis, mirantur coelo quasi delapsam mutationem rerum, gliscentem concursationem, laetum et utilem strepitum crepitumque rendarum, novas imperiales nundinas aut aurea secula commercii rediviva, opinantes. Et hercle!

*„Ecce redit virgo, redeunt Saturnia regna.“*

Lubbenam ingressos excipit laeta turba amicorum. Hospes ab hospite tutus. Non opus est tesseris ut olim in probando jure hospitii. Quid nunc Lubbenae ipso die memoriali peragendum, non eget longo edicto Praetoris.

*„Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.“*

Epitomen tamen dabit amicus Rothius in singulari oratione. Ego vero memor demandati negotii Quasi-Procancellarii societatis pergam in officio.

Aderant forte fortuna in coetu, quo mentio festi facta, quaedam cara capita, familiares, quos dudum aequalitas morum, dexteritas iudicii aut festivitas ingenii nobiscum junxerat. Hi, etsi non Academici, tamen consilii nostri religionem et amoeni-



tatem augurantes, modeste sed gnaviter petierunt, ut tanquam testes saltem per gratiam sacris interesse possint. Erat cur dubitaremus. Tandem, ut semper, vicit mitior sententia. Scimus et audivimus, Universitates in solennitatibus secularibus etiam per gratiam Doctores et Magistros in numerum creare. Jam quod Praetori romano in suo edicto tralatitio et Academiis per fictionem licuit, et nobis licitum putavimus.

„Hanc veniam damus petimusque vicissim.“

Ergo levis notae maculam, qua illi amici, educationis singulari ratione aut fato novercali laborare videri possent, abrogavimus, et admittendos judicavimus. Ut tamen honos et ritus Academia- rum servetur, singulis legem diximus, per specimina latino vel vernaculo sermone elaborata, non solum nostri consortii voluntatem sed et facultatem ostendendi. Morem gesserunt, uti fas est. Ecce nomina admissorum et titulum scriptorum:

- I. JOHANNES CAROLUS SIEGMUNDUS PASCHKE, dominus hereditarius praedii equest. Bretschen, scripsit diatriben: *de vitiis in taxatione praediorum frequentibus.*
- II. FRIDERICUS GUILHELMUS PASCHKE, dom. hered. praedii equest. Wittmannsdorff. dedit *Bemerkungen über den Anbau des Helianthus tuberosus (Erdäpfel, Topinambour).*
- III. LUDOVICUS AUGUSTUS PASCHKE, regiarum sylvarum praefectus, exhibuit *Abhandlung über einige neuerlich im Börnchen und Zergo bemerkte schädliche Wald-Insekten.*
- IV. JOHANNES CAROLUS FAELLIGEN, regius administrator et promus condus salis vendendi, disseruit: *De regionibus et hominibus sale carentibus.*



- V. CHRISTIANUS TRAUGOTT GOTSCH, Bibliopola, ex Pargis suis attulit duas meditationes:
- a) *De confiscatione librorum librariis non semper nociva.*
  - b) *De consilio Brockhusi edita in totum abandonnandi \*) non nisi cum grano salis exsequendo.*
- VI. GOTTHELF LUDOVICUS STENZINGER, Pharmacopola, disseruit: *De dispensatione acidi hydrocyanici s. borussici, (Blausäure) caute regunda.*
- VII. FRIDERICUS DRIEMEL, Typographus, ventilavit quaestionem satis intricatam: *Warum alle Verhandlungen über den Nachdruck zeithero ohne Nachdruck geblieben?*
- VIII. JOHANNES CHRISTIANUS LEHMANN, Ratiocinator in tributis regiis recipiendis (*Ober-Steuer-Controlleur*), specimen lucubrationis dedit et demonstravit: *Verbum kriegerrisch in carmine famoso der Niebelungen, et aliorum, non semper a bellatore, sed interdum a braxatore (Brau-Krüger) derivandum, et in hoc casu rectius krügerisch scribendum esse.*

His speciminibus approbatis vel leviter notatis, nominatos viros octo, socios academicos in tantum, quantum nostrae fictiones valent et valere possunt, ex mandato societatis creo, creatosque annuncio, annunciatos in publicum, mox quod magis placebit, ad prandium hilare produco, ut per Lusatiam gaudeant hac nova ficta et a nobis quasi cessa academica dignitate, nostro

---

\*) notam tulit verbum signatum barbarum et Gallomaniam redolens, sed autor auctoritatem gravem allegavit. Et sic evasit insons.



que consortio, sola spe loci et suffragii in Academiis ipsissimis  
obtinendi, excepta.



Sed lusimus satis. Potuissemus soccis et fictionibus, commodo  
dicendi genere, usque ad finem pergere, et fabulam usque ad plau-  
dite perducere. Sed aures vellicavit Apollo insusurrans;

„*Amant alterna Camoenae*“

et recte monuit. Serio, unde adhortante nostro oratore supra  
laudato, exorsa est, in eodem terminetur solennitas.

Ergo RECTORES societatis magnificos, PROCERES cujuscunque  
ordinis et facultatis illustres, SODALES et COMMILITONES prae-  
nobilissimos, Vos omnes, opere magno, rite, quasi Quirites ora-  
tos rogatosque volo, ut animum advortatis.

Primum grates agamus et bona verba dicamus, DEO IM-  
MORTALI, per quem est caetera tellus, et cui omnia et hunc  
diem debemus; deinde REGI NOSTRO, Patri Patriae, qui res  
Borussicas armis tuetur, legibus et exemplo emendat, et favore  
literarum ornat, porro omnibus ACADEMIIS et scholis, doctori-  
bus et discentibus, omnibus bene de studiis et libertate literarum  
sentientibus. Postremo honos fiat lacrimis in pia recordatione pro-  
fessorum, sodalium et amicorum, quid quod et parentum, qui  
secundum Plautum;

„*Nunc abiere in communem locum*

„*Sed absentes tamen prosunt praesentibus.*“

His rite et pie peractis, memores consilii Senecae: „quomodo  
fabula, sic vita, non quam diu, sed quam bene acta fit, refert;“



et nos vivamus, et nos omni jure laute et opipare vivamus! Ergo sodales! vacivas aures praebitote genio festi! Cum Apolline, Baccho, cum Pallade et novem virginibus, (terrestres omnes licet venustae hodie exclusae) vivite ex pari! indulgete genio, bibite pergraecamini! ut hujus diei serenitas albo calculo notata, desiderium repetitionis (quae est mater studiorum) afferat, et memoria laetitiae ad nepotes reiterantes veniat. Finio more meo Plautissans:

*„Pergite porro, post factum ut laetemini!“*

Lubbenae, Dominica IX. post Trinitatis MDCCCXXI.





26 foll.  
16. Mai 2018.  
JMP, bibl.









L 10114.



**SLUB**  
Wir führen Wissen.



**GÖRLITZER SAMMLUNGEN**  
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK



Uniwersytet  
Wrocławski







**SLUB**

Wir führen Wissen.



Stadt Görlitz



**GÖRLITZER SAMMLUNGEN**  
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK



Uniwersytet  
Wrocławski

























